PROPOSITIO V.

566. *Verisimillimum est, ne dicam omni certitudine certum, Animam brutorum esse substantiam à materia simul & à spiritu distinctam ac diversam.*

DEMONSTRATIO. I. Inesse Brutis *substantiam sentientem*, quæ sit ipsorum anima, certum & demonstratum faciunt observatio simul & speculatio (562.).

II. Substantiam hanc in Brutis sentientem, non esse ipsam Materiam, sive organisatam, sive non organisatam, cui sentire essentialiter repugnat, omnimoda etiam certitudine certum est (560).

III. Substantiam hanc in Brutis sentientem, non esse verum & proprié dictum spiritum, inde patet & constat, quòd caracteristicis Substantiæ spiritualis signis caret; & quòd Substantia in se spiritualis non est absolutè necessaria ad producendas & explicandas illas operationes quas in Brutis deprehendimus & observamus (563).

IV. Superest ergo ut substantia illa, quæ in Brutis sentit, qua Bruta animantur, quæ caracteristicis & essentialibus materiæ & spiritus proprietatibus evidenter caret, sit *substantia spiritum inter & materiam intermedia*; sensu prædita, in quo penitus differt à materia; intelligentiæ privata, in quo discrepat à Spiritu. Q. E. D.

GENERALIS IN ANIMAM BELLUINAM INTUITUS.

567. OBSERVATIO. I. Inesse Brutis *Animam immaterialem*, animam à materia & à spiritu essentialiter distinctam & diversam, omni certitudine certum videtur. At belluinæ huic Animæ, quænam est origo, quænam destinatio, quænam quasiregia sedes?

I. Impossibile est ut Anima belluina educatur & extrahatur ex materia, sive organisata, sive non organisata; in qua nec formaliter, nec virtualiter continetur. Repugnat

ergo quòd alio modo existentiam recipiat, quàm per *creationem proptiè dictam*, belluina quæcumque anima.

II. Animæ belluinæ destinatio est, ut suum animet corpus, ut varias in suo corpore sensationes experiatur: incapax pereundi per *dissolutionem partium*; cum videatur esse naturæ simplicis & substantialem omnem compositionem essentialiter excludentis: capax pereundi per *viam annihilationis*; si nullus ipsi supersit, dissoluto suo corpore, finis adimplendus. (508).

Nullus superesse videtur Animæ belluinæ adimplendus *finis*, post dissolutionem corporis ab ipsa animati: nisi fortè supponatur illa ab omnipotente Naturæ Auctore conservari & reservari ad novum aliquod belluinum corpus animandum; juxta antiquum & celeberrimum *Metempsicoseos systema*: cui systemati, si ad Bruta ejusdem speciei limitetur, nulla quidem positiva est probabilitas, sed nulla est etiam manifesta impossibilitas.

III. Cum simplex & incompositá sit Anima belluina: repugnat ipsam dividi. Unde, cum in partes ambas resecatur aliquod Insectum: dividuntur partes animatæ; non dividitur ipsamet Anima; quæ vel tota cessat in suo corpore existere, vel tota remanet in alterutra divisionis parte.

Si fortè existeret animalis aliqua species, quæ in ambas partes divisa permanentem haberet in utraque divisione vitam; quod nobis nullatenus probabile videtur: inde proveniret istud phænomenon, quòd in hac animali specie, quodlibet Individuum foret *duplex æquivalenter Individuum*, duplicem habens animam, tum ante divisionem, tum post divisionem.

IV. Verisimillimum est Animam belluinam, non secus ac Animam humanam, residere in præcipua aliqua sui corporis parte, quæ sit ipsi quasi aula & tronus; & ubi facillimè possit per ministerium spirituum animalium, tum congruos corpori suo motus imprimere, tum de variis suorum omnium organorum impressionibus admoneri. (498 & 553).

568. OBSERVATIO. II. Ut Animæ humanæ, sic Animæ belluinæ sua est *facultas multiplex*, sed quæ ab ipsa Animæ substantia non distinguitur realiter. (534).

I. Animæ belluinæ inest *facultas sensibilis* per quam doloris physici & physicæ delectationis capax efficitur. Dolori & delectationi ordinis moralis, nullatenus patere videtur sensibilis hæc Animæ belluinæ facultas.

II. Animæ belluinæ nulla inesse videtur *facultas verè intellectiva*, quæ ipsam efficiat parem percipiendis rebus insensibilibus, æstimandis rerum etiam sensibilium relationibus, parturiendis reflexionibus, eliciendis ratiociniis, scrutandis rerum finibus & destinationibus, habendis ullis de ordine morali aut de ordine merè intelligibili judiciis.

III. Animæ belluinæ inest *facultas affectiva*, qua amat aut odit, qua appetit bonum & aversatur à malo: ita tamen ut ad objecta duntaxat physica & sensibilia extendatur, nec unquam ad objecta ordinis moralis aut ordinis merè intelligibilis assurgat affectiva hæc Animæ belluinæ facultas.

IV. Animæ belluinæ, sicut & Animæ humanæ, inest *facultas motrix*: ita tamen ut in utraque, facultas hæc sit duntaxat causa occasionalis Motus producti aut producendi (548).

V. Inest Brutis *naturalis quidam Instinctus*, quo duce mirabilia multa operatur belluina quælibet species; & qui nihil aliud esse videtur, nisi summa facultatum omnium sensitivarum & affectivarum, in qualibet specie existentium, & in actus suos erumpentium.

Cæca & necessaria ubique facultas est, belluinus ille Instinctus: deficiente in Brutis Intelligentia & Ratione, quæ spontaneum hunc Naturæ impulsum observet, judicet, approbet aut reprobet, effectui suo assequendo permittat, aut ab effectu suo assequendo arceat. Hinc ab Instinctu humano penitus differet Instinctus belluinus: præsidente priori, posteriori non præsidente, Intelligentia & Ratione.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA UANL

OBJECTIONES SOLVENDÆ.

569. OBJ. I. Nihil aliud sunt variæ illæ omnes operationes, quas in Brutis observamus, nisi *motus locales*, generalibus Mechanicæ legibus conformes: non enim movetur aut moveri potest corpus belluinum, contra generales Mechanicæ leges. Ergo nullum demonstratur in Brutis principium sensitivum: motus enim locales & mechanici nihil annunciant & demonstrant nisi puras machinas, nisi mera Automata.

Et confirmatur: quia potest evidenter Deus, artifice Vocansone artifex infinitè excellentior, varias conficere Machinas, quæ sine ullo intrinseco motus aut sensus principio à materia distincto, belluinos omnes motus imitentur: quæ sensus omnis expertes, videantur, vel gemere ut columba, vel furere ut leo, vel superbire ut pavo; vel gaudio exultare, ut in aeriis ludens & recinens plagis alauda; vel acerbos experiri dolores, ut gravi sub vulnere ejulans canis; & sic de reliquis.

℟ RESP. Dist. ant. Nihil aliud sunt variæ illæ omnes operationes, quas in Brutis observamus, nisi motus locales, generalibus Mechanicæ legibus conformes: id est, omnes illæ Brutorum operationes non sunt in se nisi localis aliquis materiæ motus, qui comunicetur materiæ per solam materiam, vel ad occasionem solius materiæ, nego ant. id est, omnes illæ Brutorum operationes, non sunt in se nisi localis aliquis materiæ motus, sed qui supponat in Brutis principium aliquod vitale & sentiens, conc. ant. & nego cons.

Motus locales & mechanici non annunciant puras Machinas, mera Automata: ubi motus illi non possunt existere, quales existunt, sine aliquo *principio vitali & sentiente*, quod sit ipsis existendi causa aut occasio.

Ut in corpore humano, sive in corpore belluino, motus omnes existentes sequuntur generales Mechanicæ le-

ges: sunt enim proportionati actioni causæ motricis; sunt productum molis per velocitatem, tendunt in sensum impulsioni oppositum; & sic de cæteris. Verum, sicut mechanici motus corporis humani, non debent existentiam suam soli materiæ: sic mechanici motus belluini corporis suam soli materiæ non debent existentiam.

Unde, tam certum est existere in corpore belluino vitale & sensitivum aliquod principium à materia distinctum; quam certum est vitale & sensitivum aliquod principium existere in corpore humano: licet diversa sit utriusque hujus principii vitalis & sensitivi natura.

Ad confirmat. nego ant. Stante Dei sapientia & veracitate, stantibus Mechanicæ legibus, non magis supponi potest Deus fecisse Machinas quæ belluinos omnes motus imitentur; quam supponi potest Deus fecisse Machinas quæ humanos omnes imitentur motus. Nec magis concludi potest ab infinita Dei potentia & solertia, quod Bruta sint aut esse possint meræ sine sensu machinæ; quam ab infinita eadem Dei potentia & solertia concluderetur, quod meræ sine sensu machinæ sint ipsimet Homines.

570. ADNOTATIO. Aliquam sibi attentionem postulat comparatio divinæ & humanæ industriæ, in elaborandis Automatis animalia viventia imitantibus.

I. Non ignoramus ab humana prodiisse industria nuperrimis temporibus, mira, in hoc genere phænomena: prodiisse *Tibicinem*, Orpheos & Arionas eleganti & spiranti modulamine adæquantem: prodiisse *Anatem*, æreas sibi pectentem plumas, apposita sibi cibaria rostro prementem, & demissa in stomachum quasi concoquentem: prodiisse *Viperam*, caput & caudam in gyros flectentem, & linguam vibrantem in sibila, pungenti aut pungere ardenti similem.

Verum in his & aliis similibus quibuscumque Automatis, nullæ violantur Mechanicæ leges, irresistibilis & permanens nulla datur humano generi causa erroris. Contra, violarentur generales Mechanicæ leges, irresistibilisque & permanens daretur humano generi causa erroris: si Canis & Aquila & Equus & Serpens forent mera sine sensu automata (548 & 562).

II. Potuisset equidem auctor Naturæ Deus alium decernere & stabilire rerum ordinem, in quo *mera materia* eas omnes figuras easque omnes haberet actiones, quas in variis Brutis observamus sub præsenti rerum ordine. At in illa hypothesi, generales aliæ extitissent Mechanicæ leges, generalisque alius humanæ Naturæ judicandi modus.

In præsenti naturæ statu, sine aliquo vitali & sensitivo principio, quod sit motus causa efficiens aut causa occasionalis, non potest Canis insequi leporem, vi corpusculorum ex lepore emanantium: cum mechanicus omnis motus fiat in sensum impulsioni oppositum. Non potest Canis, duplici oblique causa impulsus, abstinere à percurrenda diagonali: cum mechanicus omnis ita fiat in dato casu motus. Idem dictum esto de motu alterius cujusque bruti.

571. OBJ. II. Quod cognoscit, est spirituale: atqui Anima brutorum cognoscit: ergo Anima brutorum est spiritualis. Patet minor. Nam Canis cognoscit herum suum, quem ab alio quocumque homine indefectibiliter discernit: cognoscit quod sibi bonum est, ut illud appetat; cognoscit quod sibi malum est, ut illud effugiat. Idem dictum esto de columba, de cervo, de musca, de pisce quocumque.

RESP. Dist. maj. Quod cognoscit cognitione reflexa, cognitione ad res sensibiles non limitata, est spirituale, conc. maj. quod cognoscit cognitione duntaxat sensitiva, est spirituale, nego maj. & sic distincta min. nego cons.

Existentia *Cognitionis merè sensitivæ*, non demonstrat existentiam substantiæ spiritualis: quandoquidem non repugnat substantia materiam inter & spiritum intermedia, quæ sit capax sensationis & incapax intelligentiæ; & quæ sit subjectum cognitionis illius merè sensitivæ (563).

*

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA UANL

572. INST. I. Defectus cognitionis reflexæ, cognitionis ad res abstractas & insensibiles assurgentis, non importat aut arguit defectum *substantiæ spiritualis* in brutis: nam pueris & stultis deest cognitio reflexa, cognitio ad res abstractas & insensibiles assurgens; nec deest substantia spiritualis.

RESP. Nego ant. Ad probat. nego deducendam à Pueris & à Stultis ad Bruta consequentiam.

I. Repugnat divinæ sapientiæ creata fuisse à Deo Entia, quæ in naturali sua destinatione nunquam producant eam operationum speciem quæ perfectissima est, & cujus virtutem in se præcontinent: quia repugnat creari à Deo

I. Mirabilis ille ordo, qui elucet ubique in operationibus & in operibus brutorum; verbi gratia, in nidis Volucrum, in domibus Castorum, in alveolis Apium, attribui debet primitivo Naturæ omnis auctori & artifici Deo: qui in belluina qualibet specie ita construxit & disposuit varia omnia organa; ut eam causarent efficienter aut occasionaliter sensatione, quam sequerentur operationes cuilibet speciei convenientes.

Unde, ex mirabilibus quibusdam Brutorum operationibus & operibus, male concluderemus inesse ipsis aliquid *principio merè sensitivo* excellentius & superius. Id unum inde possumus & debemus concludere; nempe, quod non satis notum & manifestum sit nobis, quid & quale sit

574. OBJ. III. Si Brutis inest *principium realiter sensitivum*; injustus & crudelis est evidenter Deus, qui horrendis tot malis Bruta devovet immerentia: falsum & impium consequens, ergo & antecedens.

Et confirmatur: quia *Anima omnis carnis in sanguine est*: juxta sacrum Deuteronomii librum.

RESP. Nego majorem, & ipsius suppositum: supponit enim Brutis destinationem & sortem, quæ ipsorum sors & destinatio non est.

I. Destinatio Brutorum est, ut sint specialis aliqua pras idoneum aliquod quasi elaterium aut ornamentum Naturæ visibilis; ut *specialem aliquam sensationum periodum*, sub generalibus Naturæ visibilis legibus, experiantur; ut humano ubique Generi utile ministerium aut utile alimentum suppeditent. Nulla autem efficaci unquam ratione evincetur, qualecumque Dei in donis suis essentialiter liberi attributum interrogetur & consulatur, Brutis alteram deberi à Deo destinationem; Brutis deberi à Deo destinationem ab omni ingrata sensatione penitus immunem.

II. Undenam constat ita miseram esse Brutorum sortem? De præterito nullatenus tristes, de futuro nullatenus solicitæ, in præsenti quasi instanti totam habent sortem suam variæ Brutorum species: in qua sorte observanda longe majorem felicitatis quam infelicitatis summam deprehendemus; ubi nostrum videndi & sentiendi modum Brutis perperam non attribuemus. Nulla autem sors potior & melior debetur Brutis, à supremo Naturæ arbitro & auctore Deo.

III. Ad confirmat. dist. ant. Anima omnis carnis in sanguine est, per dependentiam, conc. ant. per identitatem, nego ant. & cons. Anima brutorum non est idem cum sanguine: sed si sanguis deficit in corpore, perit illa brutorum anima. Præterea, non magis militat ille textus, contra immaterialem brutorum animam, quam contra immaterialem animam hominum: carnis enim nomine, homo etiam intelligitur. Unde liquet male accipi ab Adversariis, genuinum illius textus sensum.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA RAUL RANGEL FRIAS UANL

575. OBJ. IV. Nulla habetur idea distincta, nulla cognitio determinata, de *Substantia illa intermedia*, quæ neque materia est, neque spiritus: ergo admittenda non est substantia materiam inter & spiritum intermedia.

Et confirmatur: quia antiqua substantiæ divisio in materiam & spiritum, acurata & perfecta est; nec ullum relinquit inter membra dividentia medium.

RESP. Nego ant. Quantum humanæ Rationi opprobrium est antiphilosophica hæc objectio, quæ millies soluta & profligata, ubique renasci fastidiosa sustinet: sive de Deo, sive de Anima humana, sive de Anima belluina, agatur! Quanta inde in ingenio humano arguitur cæcitas, quanta præjudicatis suis opinionibus adhæsio! O philosophi, ò Entia cogitare nata, observate & expendite qualis sit & qualiter in vobis efformetur variarum idea substantiarum: atque inde intelligetis & sentietis inesse vobis ideam substantiæ hujus materiam inter & spiritum intermediæ, qualis & quanta inest idea ipsius materiæ & idea ipsius spiritus (324 & 325).

I. Apud omnes hodie Philosophos certum & indubitatum est, *non cognosci à nobis varias substantias*, nisi ope effectuum in ipsis observatorum. Unde, quanta est nobis idea substantiæ illius spiritualis, qua animatur homo; quanta est idea substantiæ illius materialis, qua constituitur arbor aut lapis: tanta est idea substantiæ illius intermediæ, qua animantur Bruta.

In Brutis observamus operationes quasdam, quæ vim materiæ exsuperant, quæ vim spiritus non attinguunt: atque inde inferimus & concludimus inesse Brutis substantiam aliquam, quæ nec proprietates materiæ, nec proprietates spiritus in se contineat; quæ sit capax sensationum, incapax intellectionis & ratiocinii; quæ proinde medium aliquod teneat materiam inter & spiritum.

II. Nego quod accurata & perfecta sit antiqua substantiæ divisio, in materiam & spiritum. Possibiles sunt innumeræ substantiarum species: tres saltem existunt.

Nam, dantur effectus qui demonstrent existentiam

substantiæ materialis: dantur effectus qui demonstrent existentiam *substantiæ spiritualis*; dantur effectus qui nec priori nec posteriori conveniant; & quibus verisimillime annuntiatur existentia *tertiæ substantiæ*, à duabus prioribus essentialiter distinctæ & diversæ.

Ergo verisimillimum est existere in Natura *tertiam substantiæ speciem*, quæ nec sit Materia, nec sit spiritus; & quæ sit ipsa Brutorum Anima.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA RAUL RANGEL FRIAS U.A.N.L.

INSTITUTIONUM PHILOSOPHICARUM TRACTATUS SEPTIMUS.

DE RELIGIONE ET DE MORIBUS: SIVE ETHICE.

576. OBSERVATIO. Ethice, vulgo *Moralis*, est scientia Morum rectrix: estque proinde Scientia, tum Officiorum cuique adimplendorum, tum Motivorum ad Officia hæc adimplenda impellentium. Hinc liquet præcipuam Philosophi scientiam esse debere Ethicen (104).

Sub Religione ab æterno omnis veritatis & omnis rectitudinis principio manifestè emanante; in ipsa Religione fundari & ab ipsa Religione repeti rectam omnem morum regulam, efficax omne virtutis motivum, necesse est. Omnem à fundamentis Ethicen evertunt Athæi & Deistæ, vel dum rectas morum regulas tradunt: quoties suis morum regulis adimunt divina Religionis motiva, sine quibus efficax nulla unquam potest existere Ethice, quæ in varias cupiditates humanas, plaudente Ratione, dominetur (397 & 400).

Unde, quam Ethices ideam aut methodum, primus parturiit, plaudente Europa, Auctor Elementorum Metaphysicæ sacræ & profanæ, seu Theoriæ Entium insensibilium; hanc eandem exponemus & sequemur & demonstrabimus in philosophicis istis Institutionibus. Duplex erit philosophico simul & theologico huic tractatui Sectio.

In *priore*, fundamentalia omnis Religionis principia